Pezold

De imperio... Dei

CHRISTIANI FRIDERICI PEZOLDI

ORD. PHILOS. IN ACAD. LIPS. H. T. DECANI

DE ARGVMENTIS NONNVLLIS, QVIBVS, DEVM ESSE, PHILOSOPHI PROBANT, OBSERVATIONES QVAEDAM ADVERSVS IMMAN. KANTIVM.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

1787

#3

CHRISTIANI FRIDERICI PEZOLDI

ORD. PHILOS. IN ACAD. LIPS. H. T. DECANI

DE

ARGVMENTIS NONNVLLIS, QVIBVS, DEVM ESSE, PHILOSOPHI PROBANT, OBSERVATIONES QVAEDAM ADVERSVS IMMAN. KANTIVM.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.


THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARIES
CHICAGO, ILL.

De

argumentis nonnullis, quibus, Deum esse, philosophi probant, obseruationes quaedam.

Quos *Immanuel Kantius*, Philosophiae in Academia Regiomontana Professor celeberrimus, inde ab aliquot annis edidit libros *), in iis tantum apparere auctoris acumen, tantam subtilitatem, vt nihil acutius, nihil subtilius reperiri possit, consentiens videtur esse iudicium omnium, etiam eorum, qui non omnino placere sibi illos libros, nec iustam semper illam subtilitatem videri, ingenue profitentur. Inter alia autem, in quibus ille rarum ingenii acumen exercuit, quaestio est omnium grauissima de Deo, in qua persequenda nouam plane viam ingressus effecit, vt ipsa fundamenta religionis et pietatis concutere dubitationisque caliginem quandam iis offundere velle videri posset, cum ab eo consilio alienum eum esse attento ad omnia lectori eidemque benigno et aequo satis appareat. Placet per hanc occasionem et licebit de noua illa ratione deque argumentis nonnullis, quibus philosophi, Deum esse, probant, obseruationem vnam alteramque proponere.

Cum omnino quaerere instituisset *Kantius*, quid ratio humana abducta a sensibus nec vlla experientiae ope adiuta per se cogitando et a priori argumentando valeat in Metaphysicis, hoc est, in iis explicandis et demonstrandis, quae veritatem aeternam et necessariam habere dicuntur: in ea quidem parte quaestionis, quae est de Deo,

*) *Critik der reinen Vernunft 1781. Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik, die als Wissenschaft wird auftreten können, 1783. Grundlegung zur Metaphysik der Sitten, 1785. Metaphysische Anfangsgründe der Naturwissenschaft, 1786.* Omnes Rigae editi apud Hartknoch.

ita verſatus eſt, vt argumenta, quibus philoſophi, Deum eſſe, demonſtrare conantur, examini ſubiiceret, et primum quidem illud, quo primus Anſelmus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, deinde Carteſius, poſt Carteſium multi ſunt vſi, non modo infirmum, ſed plane vitioſum eſſe, oſtenderet; deinde vero et reliqua, quae vel ex huius et cuiusuis mundi contingentia vel ex admirabili ordine et pulcritudine operum naturae ducuntur, ſollicitaret, probabilibus autem rationibus in hac de Deo quaeſtione locum plane nullum relinqueret; denique, quaecunque ad probandum hoc, eſſe Deum, philoſophi in Metaphyſicis adhuc moliti ſint vel agere et moliri poſſint, ea negaret vel ſingula vel vniuerſa idonea eſſe ad firmam animi perſuaſionem efficiendam, nedum ad extorquendam vel inuito cuique aſſenſionem. Negat igitur, hoc, Deum eſſe, ſciri poſſe, credi autem interea ait debere propterea, quod, ſublata de Deo doctrina, morum praecepta ſibi non conſtarent, et officii conſtanter colendi incitamentum vnum maxime neceſſarium ſublatum eſſet. Suſpenſa ergo eſt illius doctrinae non a veritate vtilitas, ſed ab vtilitate et ad vſus morales neceſſitate veritas, quae alias a nobis quidem certo intelligi vel propterea non poteſt, quia, ſi *Kantium* audimus, illud, nihil fieri ſine cauſa, locum non habet, nec principii loco eſſe poteſt in hac de Deo quaeſtione *). Iam cum multa ſuper his moneri poſſint, quae anguſti proluſionis limites non capiunt, nonnulla tantum ad hanc nouam de Deo diſſerendi rationem nunc quidem notabimus.

Primum in orbem haec videntur redire, Deum eſſe, credi debere propter officii colendi neceſſitatem, hanc ipſam autem neceſſitatem a Deo eſſe repetendam. Veriſſimum quidem hoc alterum eſt, ſed ita, ſi certum ante ſit, eſſe Deum, ab eo pendere et curari res humanas, eum velle a nobis coli, velle et iubere alia a nobis agi, alia intermitti, ab eo denique et virtuti praemia eſſe parata et maleſactorum poenas conſtitutas. Si autem horum omnium primum et cum eo reliqua incerta ſunt, profecto etiam de virtutis colendae ſtudio neceſſario doctrina aut omnino nulla certa relinquitur, aut ea tantum, quae, nihil reſpiciens ad Deum, non officii a Deo iniuncti cauſa recte agere iubet, ſed interim virtutem commendat argumentis

*) *Critik der reinen Vernunft, p. 583. ſſ. 636. 750. 804. ſſ. 810. ſſ.*

ab honoris et gloriae variaeque vtilitatis et felicitatis ſtudio hominum animis inſito repetitis. Quae quidem argumenta negari ſane non poteſt, nec negat *Kantius*, ita eſſe comparata, vt ex iis recte et caste quouis loco et tempore vel cum propriae vtilitatis et laudis atque adeo vitae periculo agendi neceſſitas immutabilis certo intelligi non poſſit, vt taceam, quod luculenter docuit *Kantius* *), materiam quidem virtutis multiplicem, non item formam, hoc eſt, non ipſam virtutem in eo eſſe, vt agantur, quae laudabilia atque vtilia ſunt, nec, qui haec talia nulla alia de cauſa, niſi quia talia ſunt, agat, propterea etiam ex officio ea agere cenſendum eſſe. Quid igitur? Nimirum ab immutabili Dei, rerum omnium domini, legislatoris et iudicis ſupremi, voluntate atque auctoritate ducenda eſt neceſſitas officii faciendi, planeque aſſentimur *Kantio* aſſerenti, bellis ſententiis praeceptisque moralibus effici quidem poſſe, vt laudent virtutem et admirentur homines etiam mali, propoſitum autem et ſtudium conſtans colendae virtutis verae ſine perſuaſione de Deo animique immortalitate nullum eſſe **). Principium igitur et fundamentum doctrinae moralis, non συμπεϱασμα ab ea demum pendens, illud eſt, eſſe Deum. Habet ſane apud homines bonos et intelligentes perſpecta aliunde veritas doctrinae de Deo eiusque cum doctrina de moribus coniunctio arctiſſima hanc vim, vt vtramque propter hanc ipſam coniunctionem tanto magis amplectendam tenendamque intelligant. Fatemur etiam, ex eo, quod naturae quadam neceſſitate impulſi diſtinguimus recta et bona a prauis et malis, illaque agi, haec intermitti non pro lubitu, nec modo propter ſpem metumue aut in aliorum hominum gratiam, ſed, quia officii ratio ita poſtulat, debere ſentimus, et malefactorum conſcientia, etiamſi nihil ab hominibus et in hac vita metuendum ſit, angimur et torquemur, ex eo, inquam, probabiliter ſed recte (per principium rationis ſufficientis) colligi, eſſe aliquem auctorem naturae noſtrae intelligentem, veri et recti amantem, qui iſtos nobis ſenſus et ſtimulos virtutis, iuſtitiae, aequitatis, pietatis erga liberos aut parentes, impreſſerit, adeoque leges tulerit, nec impune ſinat eas

 negligi

*) *Grundleg. zur Metaph. der Sitten p. 8. ſſ.*

**) *Critik d. r. V. p. 813.*

negligi aut contemni, habeatque omnia et subiecta sibi, vt effugere eum nemo possit, et perspecta ac cognita, etiam ea, quae intra animum humanum geruntur. Si autem tu argumenta, Deum esse, probantia omnia et singula talia esse censeas, qualia esse *Kantius* censet, si ea non modo neges mathematicae demonstrationis legem sequi, quod sane necesse non est, sed plane illegitima quoad ipsum argumentandi modum et vitiosa esse, per saltum concludere, aut principium petere existimes, si denique illud ipsum, omnibus praeter Epicurum et Dau. Humium philosophis tanquam καθολικον probatum et in quaestione de Deo vsurpatum, principium, quod, nihil fieri sine causa, dicit, ab hac quaestione seiunctum, hoc est, viam omnem, qua peruenire ad Dei cognitionem datum est rationi humanae, praeclusam velis: an tu iam poteris eos, qui, Deum esse, negant aut dubitant, vel ad officium faciendum Dei cogitatione per te incerta permouere, vel, vt de Deo *rectius sentiant*, efficere morum praeceptis, hoc est, eo argumento, quod exiguam immo nullam *vim* in hominum animos habere, nisi pondus ei addat recta de Deo sententia, ipse fateris?

Non licet existimare, virum longe perspicacissimum non hoc egisse, vt sibi caueret ab isto circulo. Sane id egit, an satis feliciter, dubitare licet. Scilicet in metaphysica, quam appellat, doctrina morum ita disputat de virtute, de legibus naturalibus atque officiis, vt officium quidem esse dicat, et recte hoc quidem, actionis necessitatem ex lege oriundam, leges autem naturales ab ipsa ratione recte cogitante et argumentante eiusque iudicium sequente voluntate humana ferri, et quemque hominem, aliumue spiritum facultate libere et moraliter agendi praeditum, legislatoris pariter ac ciuis legibus subditi in ciuitate quadam mente et cogitatione fingenda personam sustinere, denique veram virtutem in eo cerni, vt nullo naturali quamlibet recto vtilitatis, laudis, felicitatis, studio, nullo amoris atque amicitiae stimulo incitata, per se atque absolute bona, vt ille vocat, voluntas decernat et agat, quae vt agantur ab omnibus et legum vim habeant, velle possit et velit. In hac tota disputatione de principiis doctrinae moralis nullam Dei rationem habet *Kantius*, immo diserte negat, a diuina voluntate originem legum atque officiorum esse arcessen-

cessendam *). An igitur recte et sine circulo a tali morum doctrina suspensam persuasionem de Deo iste vult philosophus? Non negat, eam a se describi virtutem, quae, an vsquam sit, dubitari possit; fatetur ipse, sententias illas de virtute per se pulcra et amabili, de virtutis cultrice, ab omni studio (*Neigung*) siue vtilitatis siue alio seiuncta, absolute et per se bona, ipsa sibi leges ferente iisque obtemperante voluntate, ideas esse splendidas quidem et magnificas, sed quarum in actum deducendarum (sublatis quippe incitamentis omnibus) consilium et facultas desit, nisi Deum et vitam quandam futuram esse credamus, et inde petamus incitamenta agendi secundum ideas morales **). Enimuero vtrumque hoc ipsum vt credamus, quomodo efficitur per illas ideas, si actum non producunt effectuque carent ante, quam accesserit de Deo et vita futura persuasio? Si sine hac non tantum valent, vt officiorum, quae non ad Deum sed ad homines referuntur, praestandorum studium et diligentiam, hoc est, id, quod minus est, efficiant: vnde habent vim, efficiendi, quod maius est, vt, Deum esse et vitam quandam futuram non modo velimus, sed etiam, quia volumus, credamus et plane nobis persuadeamus, licet nulla alia sint, quae id persuadeant, argumenta firma et accurato rationis iudicio probata ***), vt, inquam, Deum esse et aliam post hanc vitam futuram credamus, nec modo credamus, sed iam etiam Deum toto pectore amemus et veneremur, eique placendi et futurae alicuius felicitatis consequendae studio toti regamur, et ad officia quaeuis peragenda efficacissime impellamur? Cogitemus aliquem, cui magistratus

*) *Grundlegung zur Metaphysik der Sitten*, *p. 92*.

**) *Critik d. r. V. p. 813*.

***) *Kantio* auctore ne quidem ita dicere licet: *Moraliter certum est, esse Deum*, (quod qui dicit, hoc dicit: Deum esse, non quidem per ἀπόδειξιν certum est, sed tamen certum aliis argumentis ad eum modum factis, quem Logica probabilium docet) sed ita loquendum: *Ego moraliter certus sum credendi hoc, esse Deum, ich bin moralisch gewiß*, — h. e. propter morum doctrinam, quia virtutis studium carere non potest hypothesi de Deo, hanc ob causam decretum mihi est, Deum esse, credere. Noua igitur significatione ille dicit moralem certitudinem, non mathematicae sed *logicae* certitudini eam diserte opponens, adeoque intelligens non obiectiuam, siue rei, sed subiectiuam quandam, eamque non cognitionis et persuasionis sed consilii cuiusdam, certitudinem. *Critik d. r. V. p. 829*.

tus iussu atque auctoritate iurandum sit. At ille Atheus est, nullam proinde iurisiurandi sanctitatem agnoscens. Iam accedat philosophus aliquis ex schola Kantiana*), eumque sic alloquatur. Tu quidem, Deum esse, negas, nec ego habeo, quibus, esse Deum, cogatur planeque certum reddatur, argumenta, nam probabilia nihil equidem curo. Sed tamen quoniam iurandum est, iuramenti autem religio nulla est, nisi, Deum esse, credas, propterea, Deum esse, credere debes, vt religio sit, peierare. Magni interest ad salutem publicam, sancte iurari. Ac fateor ego quidem, sublata de Deo persuasione nihil esse, quod ad bonum alienum et publicum proprio et priuato anteferendum in eaque re officium hominis et ciuis faciendum satis impellat. Sed, vt habeas, quod impellat, Deum esse, fac credas. An putabimus, hanc talem orationem effecturam, vt vel sancte iurandi propositum, vel, quae ad id impellat, animi de Deo persuasio Deique reuerentia nascatur? Vnum, quod a periurio forte absterrere possit, relinquitur hoc: Quid, si Deus sit? Non repugnat, esse Deum **). Sed haec quidem non persuasio de Deo est sed cogitatio, eaque parum aut nihil valitura in hominum animis aduersus peccandi illecebras, nisi obscurus saltem argumenti alicuius, quod probabile reddat hoc, esse Deum, sensus accedat. Certe haud temere concludimus, in disputatione Kantiana per-

*) Talis est is, qui haec, plane ad mentem Kantii, scripsit: *Wenn ich auch annehmen muß, eine jede Erscheinung sezt etwas voraus, welches der Erscheinung zum Grunde liegt, so hab ich doch dadurch von dem zum Grunde liegenden Object nicht den mindesten Begriff, und muß es eben deswegen als eine bloße Idee betrachten, die in meinem Verstande existirt, deren äußere Existenz ich aber durch gar nichts erweisen kann. — Gott gehört nicht zur Sinnenwelt. Daher kann ich auch nicht sagen, daß er eine Größe habe, daß er eine Substanz, eine Ursache anderer Dinge, daß er möglich, oder wirklich, oder nothwendig sey. — Denn in Dingen, von denen wir gar nichts wissen, ist jede Behauptung, sie sey pro oder contra, gleich ungereimt. — Wenn aber wichtige oder wesentliche Zwecke der Menschen den Glauben an das Daseyn solcher Wesen fordern: so hindert uns eben deswegen gar nichts, sie anzunehmen, und gewisse Verhältnisse und Beziehungen derselben auf die Sinnenwelt zum voraus zu setzen.* Cl. *Ludov. Henr. Iacob*, Philos. P. E. in Acad. Hal. *Prüfung der Mendelsohnschen Morgenstunden oder aller speculativen Beweise für das Daseyn Gottes. Leipzig, 1786. p. 157. 158. 171.*

**) *Critik d. r. V. p. 830.*

persuasionem de Deo a morum doctrina et virtutis studio, doctrinae autem moralis vim eam et efficaciam, quae bonos et virtutis studiosos homines reddat, ab illa ipsa de Deo persuasione pendere, adeoque illam disputationem in orbem redire videri.

Iam porro in hac ipsa differendi ratione exempla non pauca inconstantiae a vera philosophandi subtilitate alienae animaduertere licet.

Veram ille virtutem eam esse vult, quae nullo vtilitatis ac felicitatis inde oriturae respectu sed propter se colatur *). Deinde, Deum esse et vitam quandam futuram, credi ait debere, vt praemiorum poenarumque post hanc vitam expectatio incitet ad virtutem colendam **). Ad quam virtutem? Genuinam, an adulterinam?

Non Deum sed hominem sibi ipsum legislatorem esse contendit, et negat diserte, officia inde esse repetenda, quod Deus alia ab hominibus agi, alia intermitti velit et iubeat, causam interserens hanc, quod, qui a voluntate diuina leges atque officia ducant, (theologicam hanc rationem ille dicit) non possint non alterutro modo peccare in explicanda voluntate diuina, vel in orbem definiendo, vel formando notionem absurdam, in qua nihil cogitetur, nisi gloriae cupiditas dominandique lubido cum tremenda potentia iracundiaque coniuncta ***). Sed idem in vsum virtutis et vitae cogitationem de Deo, quasi legislatore et iudice, mente concipiendam esse praecipit ****). Qualem cogitationem? Veramne, an falsam?

Concedit, argumentum, quo rerum mutabilium minimeque necessariarum siue hanc, quam videmus, siue aliam, quaecunque fuerit, seriem atque vniuersitatem ab aeterna quadam et necessaria absoluteque perfecta, hoc est, diuina natura pendere concluditur, habere suum aliquod pondus, et naturali quadam simplicitate et facilitate commendari et probari communi hominum intelligentiae †). Porro laudat praestantiam argumenti physico-theologici, idque fatetur esse eiusmodi, vt, quae inde existit de sapientissimo naturae auctore persuasio, nulla dubitatione, nulla ingenii calumnia labefactari queat ††). Sed

*) *Grundleg. z. M. d. S. p. 14. ff. 59. 61. not.*

**) *Critik d. r. V. p. 809. ff.*

***) *Grundleg. z. M. d. S. p 92.*

****) *Critik d. r. V. p. 812. 815.*

†) *Crit. d. r. V. p. 587. ff. 604. 615.*

††) *Crit. d. r. V. p. 623.*

Sed idem plane negat, fieri posse, vt his talibus argumentis legitime probetur, esse Deum, reiiciens quippe non modo Cartesianam, quae vulgo dicitur, rationem argumentandi ex idea Dei, tanquam entis perfectissimi, quam argumentationem merum esse paralogismum dudum ab Werenfelsio, Des Maizeaux, C. A. Crusio aliisque planissime demonstratum est, sed mutila etiam et clauda esse contendens illa ipsa, quae laudauerat, argumenta, quod ad illud alterum physico-theologicum absoluendum primo cosmologico, ad huius autem ipsius perfectionem tertio ontologico siue Cartesiano tanquam supplemento opus sit, adeoque omnia ad hoc ipsum, cuius plane nulla vis est, redeant, hoc est, ad nihilum redigantur. Accedit, quod vtriusque argumenti, cosmologici et physico-theologici, neruus vel maxime inest in principio, quod dicitur, rationis sufficientis. Sed hunc neruum incidit *Kantius* statuens, illud principium, si in quaestione, an Deus sit, an a Deo aliquid effectum sit, adhibeatur, alieno loco adhiberi, neque sic adhibitum quicquam esse, nisi inanem sine mente sonum: (quod idem est, ac si dicas, *nullam esse rem vel factam esse, cuius origo ad Deum tanquam caussam referri legitima argumentatione possit.*) Haec quomodo respondent laudibus, quas argumentis illis duobus tribuerat?

Argumentum quidem physico-theologicum quod attinet, ei integra relinquitur sua laus, si tantummodo negatur, illud esse *αποδεικτικον*, et si locus in quaestione de Deo conceditur argumentis talibus, quale illud est, hoc est, iis, quae, varia licet ipsa, communi nomine probabilia dicuntur in Logicis. At vero nullum omnino eius generis argumentis locum in quaestionibus metaphysicis et in ipsa quaestione de Deo *Kantius* relinquit, in vna sibi demonstrandi arte et subtilitate placens, sed in hoc quoque sibi non constans, quod, Deum esse, animum autem humanum esse immortalem, licet demonstrari ac sciri nequeat, tamen recte credi, et rectius ista pro *fidei* cuiusdam naturalis *articulis* quam pro dogmatibus haberi ait, quasi id, cuius nulla est *αποδειξις*, recte credi, et fides siue assensio quaedam moralis haud temeraria existere possit sine argumentis probabilibus, de qua quidem re quae hoc loco dicenda erant, ab huius prolusionis auctore duobus olim libellis academicis disputata sunt, vt repetere nec placeat, nec opus sit.

Videa-

Videamus iam, quo iure *Kantius* dicat, in argumentis, quae, Deum esse, vel ex mundi cuiusuis contingentia, vel ex pulcherrimis nec satis vnquam admirandis operibus huius, cuius nos ipsi pars quaedam sumus, naturae probant, latere nec ab iis disiungi posse paralogismum Cartesianum.

Prius argumentum, cosmologicum, non nisi in speciem differre ab illo Cartesiano propterea contendit, quod, qui concludat ex mundi contingentia, esse aliquid absolute necessarium, idemque esse absolute perfectum, pro certo iam habeat, duas notiones, alteram existentiae necessariae, alteram naturae absolute perfectae, ita esse coniunctas, vt alterutra posita ponenda sit et altera, adeoque ex notione entis perfectissimi eius existentia a priori colligi possit. In hoc, id est, in ipso paralogismo Cartesiano neruum illius argumenti cosmologici inesse, id autem, quod ei praemittitur de mundi contingentia, plane otiosum esse, nec quicquam ad rem facere, nisi forte vt ansam cogitandi de absoluta necessitate praebeat *). Haec quidem *Kantius*, sed parum subtiliter, miscens inter se et confundens, quae longe differunt. Aliud est, ita concludere: Quoniam idea alicuius rei mente concipi, sed non nisi coniuncta cum alia quadam idea cogitari potest, ergo est (non cogitatur solum) aliquid, quod vtrique ideae respondeat. Haec est vitiosa illa ratio, qua ex eo, quod idea Dei tanquam naturae absolute perfectae cogitari, sed idea absolutae perfectionis non aliter nisi coniuncta cum idea aeternae et necessariae existentiae cogitari potest, colligitur, *esse* Deum eumque aeternum et necessarium, cum hoc modo sequatur, talem eum cogitari posse, et talem cogitari debere, si cogitetur tanquam absolute perfectus. An sit Deus, et an necessario cogitandus sit tanquam absolute perfectus, id vtrumque plane dubium haec quidem ratio relinquit. Aliud autem est, ita argumentari: Quia aliquid est et in sensus incurrit, ergo et aliud quicquam est, sine quo illud esse non potest. Veluti cogitationes in nobis insunt, easque sensu interno percipimus, ergo est aliquid in nobis, quod cogitat. Ita nos ipsos et praeter nos alia innumera, varia et mutabilia, quorum compagem mundum vocamus, esse, sensu atque experientia constat, quanquam internam earum rerum naturam non licet intueri. Sed haec talia vicissitudini perpetuae

 obno-

*) *Critik d. r. V. p. 606. f.*

obnoxia minimeque per se necessaria, quibus aeternitatem initii expertem tribuere nihil aliud esset, nisi fingere superstitiosorum more mysteria, haec igitur talia esse et cogitari non possunt sine aliqua, vnde profecta sint et pendeant, aeterna et per se necessaria adeoque ab illis plane diuersa natura, cum vel sine causa orta, vel ab omni aeternitate alia ex aliis orta, hoc est, omnia et singula effecta et tamen constituentia seriem initio carentem absurde dicerentur. Est igitur prima quaedam natura et illorum contingentium omnium causa, ipsa non contingens, non mutabilis, sed aeterna et necessaria. Ea vero si vel vita atque intelligentia agendique et efficiendi cogitata facultate careret, vel eam haberet imperfectam, non esset ipsa immutabilis et necessaria, nec efficere potuisset, vt haec tot et tanta existerent, cum imperfectam limitibusque circumscriptam vim, qualiscunque et quantacunque illa sit, varias quidem mutationes iis rebus, quae sunt, inducere posse certum sit, illud autem efficere posse, vt repente ex nihilo existant, quae nusquam sunt, sine superstitione dici cogitarique non possit. Sequitur, vt ratum habeamus, esse aliquem mundi auctorem viuentem sine initio et fine, summa intelligentia omninoque ea, quae omnem excludat mutationem, hoc est, absoluta atque infinita perfectione praeditum, quem Deum vocamus. An haec argumentatio eadem est cum Cartesiana illa? Minime. Nam ista quidem desinit in notione Dei tanquam summe et absolute perfecti, eumque et quidem talem esse concludit, cum illa altera eo ipso, de quo quaeritur, tanquam principio abutatur, mentiens subtilitatem demonstrationis mathematicae, qualem se illa nostra modestior non iactat, facta quippe ad eum modum, quo in physicis ex iis, quae data sunt et cognita per experientiam, causas rerum cognoscimus disiunctiue ratiocinando et in auxilium vocando axiomata causalia aliaue principia vera et certa. Sane si tu *puram* (latinis auribus inauditam) *rationem* iactas, si eius vnius ope, Deum, omnium rerum auctorem sapientissimum, non modo cogitari posse, sed esse, ita vis demonstrari, vt nihil, quod datum sit et cognitum per experientiam, fundamenti loco ponatur, fatemur id effici non posse, sed nec debuisse postulari, quando certum est et ab acutissimis logicae artis magistris dudum praeceptum et demonstratum, in omni ratiocinatione, qua, aliquid esse vel aliquid per causam aliquam effectum esse, ostendi debet, fundamenti loco

aliquid

aliquid esse ponendum, quod vel ipsum sit experientiae obuium, vel ex tali aliquo recte conclusum. Ceterum quam immerito id otiosum esse et nihil ad rem facere dicatur, quod fundamenti loco est, quis non videt?

Est igitur hoc ipsum male conclusum, quod *Kantius* argumentationem consentaneam legibus illis, quas in quaestione de caussis omnes sequimur, eandem cum alia, vitiosa illa, cuius alia plane forma et ratio concludendi est, propterea esse ait, quod habent quoad materiam coniunctionem et conuenientiam quandam. Nimirum in forma inest vitium Cartesiani syllogismi, non in materia, cuius veritatem nostra quoque illa ratio amplectitur, sed ita, vt eam non modo sumat, immo vero etiam legitime probet. Nam et illud ipsum profecto verum est, quod principii loco in isto syllogismo ponitur, naturam perfectam omnibus numeris atque infinitam, si qua sit vel mente concipiatur, non posse vel esse vel mente concipi, nisi sic, vt attributam sibi habeat existentiae necessitatem: nec difficile est, id tueri atque defendere ab eo, quod *Kantius* obiicit, existentiam non esse perfectionis partem vel gradum, nec, si quis iam sibi cogitet centum thaleros, iam eosdem reapse habeat, horum, qui sunt et habentur, maiorem, quam illorum, qui cogitantur, perfectionem siue summam esse. Non vacat nunc nec opus est, quaerere de vniuersa vel perfectione vel existentia. Illud annon certum est, eas res, quae vita sunt praeditae, perfectiores esse vita carentibus? An negari iam potest, absolute perfectam naturam non aliam vel esse, vel cogitari posse, nisi eam, quae sit ex genere viuentium, et quae adeo vitam viuat perfectissimam, id est, aeternam et necessariam? Sed viuere et esse ita sunt coniuncta, vt illud affirmari hoc negato non possit. Sequitur, vt vtrumque verum sit, et illud, quod nos diximus et probauimus, ex eo, quod natura aliqua est aeterna et necessaria, intelligi eius ipsius naturae perfectionem absolutam, et istud, quo Cartesius cum aliis male vsus est, in idea infinitae perfectionis inesse tanquam eius partem ideam existentiae aeternae et necessariae.

Vindicato argumento cosmologico alterum etiam physico-theologicum vindicatum est hactenus saltem, vt appareat, ei coniunctionem, si quam habet cum priori illo, non esse vitio vertendam. Recte quidem illud et subtiliter, vt multa alia, nec tamen primus monuit

nuit *Kantius* *), ſola contemplatione operum naturae non hoc effici, vt certum, nedum μαθηματικως demonſtratum ſit, eſſe vnum aliquem, in quo tanta, quanta maior eſſe non poſſit, ſapientia et potentia et alia omnia inſint, quae infinitae perfectionis idea continentur, eumque eſſe non modo architectum mundi ſed creatorem proprie dicendum, hoc eſt, auctorem non modo formae ſiue ordinis rerum, ſed rerum etiam ipſarum, materiae, inquam, ex qua corpora inanimata conſtant, et alterius generis rerum, quod vel animarum vel ſpirituum nomine appellatur. Sed nempe de Deo cum quaeritur, haec prima quaeſtio eſt et eſſe debet, an ſit Mens aliqua excelſa et praeſtantiſſima, cuius vi et ſapientia humanam longiſſime ſuperante exſtructa ſit haec mundi machina, et hoc omne animantium et ipſum hominum genus conditum? Aliae quaeſtiones ſunt, qualis illa Mens ſit, an vna, an ita perfecta, vt nihil ei par ſit, nihil ea maius et perfectius eſſe et cogitari poſſit, an non modo fabricata ſit hanc mundi machinam, ſed ipſam etiam materiam humanasque mentes et quicquid eſt vel animarum vel ſpirituum ex nihilo effecerit? Non licet Atheismi inſimulare eum, qui ad primam illam quaeſtionem recte et non dubitanter affirmando reſpondet, etiamſi ad ceteras quaeſtiones per ignorantiam aut errorem non omnino recte reſpondeat. Sed ad primam quaeſtionem haud dubitanter affirmando reſpondendum eſſe, nullo alio argumento magis certiusque perſuademur, quam eo, cuius materiam variam tractant libri phyſico-theologici, eandem autem infinitam natura ipſa coelum terramque contemplantibus ita offert, vt eius argumenti vim etiam indoctiſſimus quisque facile ſentiat. Ad ceteras autem de Deo quaeſtiones vt recte reſpondeatur, alia ſane cogitanda et perpendenda ſunt, in his ea, quae argumenti cosmologici nomine ſupra ſunt a nobis propoſita. In hunc igitur modum, ſi reliqua, quae neceſſaria ſunt, addantur, paralogismo Carteſiano penitus excluſo, conſtat argumento phyſico-theologico ſuum pretium, ſua vis, primum in inchoanda cognitione Dei, deinde in animo, Deum eſſe, iam aliis etiam argumentis perſuaſo ac plenius edocto, magis magisque confirmando, denique in admiratione et veneratione Dei alenda quotidiano tot et tantorum naturae et prouidentiae miraculorum ſpectaculo.

Plura

*) *Critik d. r. V. p. 627. 637.*

Plura voluimus dicere inprimis ad vindicandum in quaestione de Deo vsum principii rationis sufficientis, sed abrumpendum est filum dissertationis, idque declarandum, quod scribendi praebuit occasionem. Fruuntur iam in Academia nostra tres iuuenes generosissimi beneficiis insignibus profectis a liberalitate pia et generosa illustrissimae olim natalium et matrimonii, quo Michaeli, Comiti a BESTVCHEF-RVMIN, in Aula Imperatoria Petropolitana primo Mareschallo et Consiliario intimo, iuncta fuit, splendore, et, quod maius est, virtutum laudibus ornatissimae Matronae, ex Carolouitiorum, Equitum Misnicorum, gente, IOHANNAE HENRICAE LVDOVICAE, quae partem bonorum suorum legauit Academiae nostrae, ex eaque sorte quae redeunt, litterarum studiis et artibus alendis, apud nos iussit distribui ea lege et ratione, de qua dictum est primo programmate hac de causa ante hos tres annos proposito. Huius igitur Bestuchefianae liberalitatis memoriam quotannis, et quidem d. XXX Iunii, oratione solemni pie recolendam cum statuerit Academia nostra, hoc ipso die, qui proxime instat, illo officio fungetur vnus ex illis tribus, quos diximus, Generosissimus et Nobilissimus GÜNTHERVS *a* BÜNAV, Eques Misnicus, fungetur autem ita, vt et gratum piumque animum testetur, et ingenii ac doctrinae specimen exhibeat oratio, quam recitabit, *de origine ac progressu nobilitatis in Germania antiqua.*

Restat, vt ad hanc orationem beneuole audiendam, vos, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, itemque vos, COMMILITONES GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI, humanissime inuitemus, eaque obseruantia, qua decet, rogemus, velitis frequentia Vestra haec pietatis solemnia laetiora reddere et splendidiora.

P. P. D. Festo Ioh. Bapt. a. cIↃIↃCCLXXXVII.